Sit itaq; Lunæ in c, existentis diuersitas c,p. quæ est maior priori in arcu e, p, huic æqualis sit c,q, in contrarium successionis. Si ergo Luna existens in q. haberet diuersitatem aspectus in longitudine arcus q, c, q. esset punctus quæsitus. Sed cum sit uicinior horizonti dum est in q, erit eius diuersitas aspectus maior arcu c,p. aut q,r. Sit itaq; tunc q.f. excedens q,r. in arcu r,f. hinc r,f. æqualis q,s. In contrarium successionis dico esse s punctum quæsitum. Nam si Luna fuerit in s. secundum uerum locum, erit locus eius uisus super r, ferè, aut insensibiliter ab eo differens. Præcisius tamen habebis, si q,s. facies æqualem r, f. & tanti parti r,f. quanta ipsa r, f. est pars r, p. Simili uia procederes in reliqua quarta eclyptice. Est igitur opus tale: Diuersitatem aspectus in longitudine Lunæ ad Solem scilicet arcum r, m. diuide per motum uerum Lunæ in hora, & tempus quod exit, auffer ab hora uerę coniunctionis, si fuerit ante nonagesimum gradum ab ascendente, uel adde idem sibi si post, & ad tempus iam proueniens quæras diuersitatem aspectus in longitudine, quæ est arcus c, p. eius differentiam ad primam diuersitatem, quæ fuit c,r. scilicet arcum r,p. diuide per motū Lunę in hora, & tempus proueniens iterum adde uel minue ut antea à tempore cum quo secundam diuersitatem quæsiuisti, & ad tempus iam proueniens tertio quæras diuersitatem aspectus in longitudine, quæ est arcus q, f. eius differentia ad secundā diuersitatem, quę fuit q,r. est r,f. super r,f. si sensibilis quantitas sit, iungamus tantam partem r,f. quanta est r,f. pars r,p. ut r,f. cum parte sua sit æquale q,s. erit itaq; s, r. diuersitas aspectus Lunæ in longitudine in hora uisibilis coniunctionis ferè, diuide arcum s,r. per motum Lunæ in hora, & tempus minue uel adde ad tempus uerę coniunctionis, ut antea dictum est, & exibit coniunctiouisibilis, quæ quærebatur. Vel sic agas & facilius: Ad horam uerè coniunctionis quæras diuersitatem aspectus Lunæ in longitudine, & motum eius uisum in hora, agendo in hoc per horam antecedentem ueram coniunctionem, si sit ante nonagesimum gradum, aut sequentem, si sit post nonagesimum gradum, diuidasq; diuersitatem aspectus in longitudine per motum uisum Lunæ in hora, & exiuit tempus distantiæ uisibilis coniunctionis à uera, quod adde uel minue, ut ante dictum est, ad idem tempus uisibilis coniunctionis, si certior fieri uelis, quæras uera loca luminarium, & diuersitatem aspectus Lunæ ad solem. Quòd si distantia uerorum locorum Luminarium æqualis fuerit diuersitati aspectus Lunæ ad Solem in longitudine, certum fuit opus, si differant, repete opus donec ita fiat. Nam necesse est in uisibili coniunctione ut prædicta duo concordent, ut in figura.



¶ Sit in circulo altitudinis Luna secundum ueritatem in o. secundum uisum in n. Sol secundum ueritatem in s. secundum uisum in m. Locus Lunæ uerus in eclyptica t. designatus per arcum à polo eclyptice uenientem x, o, t. Visus autem locus Lunæ in eclyptica sit i. designatus quoq; per arcum eclyptice à polo uenientem x, i, n. Si uisus locus Solis fuerit super hoc arcu, tunc fit uisibilis coniunctio, & diuersitas aspectus Lunæ ad Solem in longitudine erit tunc arcus t, s. Et ipse est etiam distantia uerorum locorum Luminarium. In his scias, ut supertius dictum est, quod angulus a, t, z. si sumptus sit loco anguli q, n, o. & arcus o, n. loco arcus t, i. Similiter q, t, pro n, i. m, p. pro i. nihil sensibilis differentiæ fiet.



Propositio